



Mons Thabor Sive Solitudo Exercitiorum Spiritualium

Bisling, Anselm

[Einsiedeln], 1682

Digressio XX. Continet utilem doctrinam, & praxin quotidianæ oblationis seu puræ intentionis; Resignationis suæ voluntatis &c. pactique, magni peccatoris cum Iustitia Divina.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60545](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60545)

ego servus tuus paratus ad omnia, quoniam
non desidero mihi vivere, sed tibi: utinam
dignè, & perfectè.

DIGRESSIO XX.
ET VLTIMA.

*Continet utilem doctrinam, & pra-
xin quotidiana oblationis, seu pura
Intentionis &c. Resignationis sua-
luntatis, pactique magni Pec-
catoris cum Iustitia divi-
na.*

THEOPHOBVS.
(I.)

Redimus tandem in fine Exercitiorum ad primum eorundem principium, scilicet ad ultimum hominis finem, ac centrum, qui solus Deus est, mediante unione mysticâ attingendus in medio, donec perfectâ fruitione possideatur in termino. Tunc autem anima per unionem mysticam in hoc extilio cum eodem copulatur, quando ab omnibus vitijs, & inordinationibus libera, & expedita, non tantum à rebus creaturarum imaginibus totaliter excessit, verum etiam à seipsa deficiens, atque in seipsa velut ad nihilum redacta.

Unio viatoris cum Deo in quo consistat?

sta, perdita, evacuata, & tanquam mortua in abyssum æterni amoris illabitur, concrematur, liquescit, & liquefacta sicut aurum, & æs permixta, aut ferrum candens & ignis in unam quasi massam, atque substantiam constantur, seu transformantur, ita ipsa Deo sine medio unita, unus cum eo spiritus efficitur. Sed, hoc opus, hic labor est: oportet enim, animam prius relictâ mundi vanitate, lacrymis suis contractas sordes abluere, passionum, ac sensuum incompertos, & inordinatos mores componere, varioque sese virtutum habitu excolere. Quæ cum vos hætenus ex amissi fecisse non diffidam, hinc vobis jam sublimiorum virtutum capacibus redditis, pro coronide tres insignes, forè non parum profuturos Actus, quibus ad perfectam unionem & conformationem cum Deo, ejusque divina voluntate & Iustitiâ tenditur ac pervenitur, adjungam.

Quæ requiritur ad illuminationem.

II. Primus itaque Actus, seu Praxis ejusdem est, Oblationis perfectæ sui ipsius ex toto cordis, & animæ fundendo in obsequium solius perpetuæ servitutis, laudis & glorificationis divinæ, quâ homo ex animi sui medullis, quidquid est in esse naturæ, & gratiæ, nullâ sui parte reservatâ, se totum, & omnia

Perfecta sui oblatio in obsequium Dei.

In unione
intentionum Christi.

nia sua opera, etiam minutissima quae quotidie Deo cum pura & sancta intentione offert, in Unione operum, intentionum, Passionis, & sanguinis Domini I E S V Christi: quod tantumdem est, ac si vel plumbum liquefactum auro permixtum, vel aqua generosissima vino intusa ejusdem valoris & pretii reddita, Deo ter Opt. in libamen gratissimum offerrentur. Vi cujus solae oblationis lectissima Dei sponsa Gertrudis cum caelesti Sponso tali amoris nexu meruit uniri. Ego totus sum illi, & eam per amorem mihi inseparabiliter univi, sicut argentum, & aurum per ignem in unum metallum constantur: quia nemo habet vivit hominum, qui PER BONAM INTENTIONEM, sive bonam voluntatem mihi, quam illa, est vicinior: fideliter, procerè omnia mea dona referens IN SOLAM GLORIAM MEAM, nihil sibi de his penitus reservans, aut usurpans. Id vobis a vobis quoque sequenti formulâ devotissimè, & efficacissimè fieri potest.

Ex Menol.
17. Nov.

S. Gertrudis
per S. intentionem
Christo univivissima.

P R A X I S,

Seu formula quotidiana Oblationis.

Formula
longior
quotidianae
sui oblationis.

III. O Sanctissima, aeterna, & indivisa Trinitas, atque tremenda Majestas! Ecce ego abjectissimus terra

vermiculus in conspectu omnium Sancto-
rum prostratus, tuâ incomprehensibili Boni-
tate, & Clementiâ fretus, cum profundis-
sima mentis humilitate, omni meliori devo-
tione, & efficacissimâ voluntate offero, ex
nunc, & totâ meâ reliquâ vitâ, usque ad
extremum spiritum, ad majorem Nominis
tui gloriam, sanctissimæque tuæ voluntatis
beneplacitum; dulcissimi quoque, & aman-
tissimi D. mei I E S V Christi, nec non Bea-
tissimæ Virginis, ac Dei Genitricis
M A R I Æ, & Sanctorum N. N. Pa-
tronorum meorum, ac loci hujus, & San-
cti. (vel Sanctorum) N. N. cujus, (vel
quorum) hodie memoria colitur, omnium-
que Sanctorum totius Curie triumphantis ho-
norem, laudem, & gloriam, Animam
meam, cor meum, & corpus meum, cum
universis potentijs, membris, ac sensibus in-
ternis atque externis; videlicet intellectu,
memoriâ, voluntate, visu auditu, gustu,
odoratu, & tactu: cum carne, ossibus, vi-
ta, sanguine, venis, arterijs, respiratio-
nibus, atque gemitibus: omnes insuper cogi-
tationes, verba, opera, gressus, gestus,
motus, & singulos oculorum nictus, & nu-
tus: denique omnes animæ, & corporis fun-
ctiones, usum, motus, & operationes in vi-
gilia, & somno, bonas, & indifferentes; om-
niaque temporis mei momenta: mortem me-

Etiâ ope-
rum indif-
ferentium,

H h 4

am,

am, eternitatem meam, ac totum me esse in natura, & gratia, in obsequium pietatis, laudis, glorificationis, amoris, ac beneplaciti tui, ac Filij tui D. N. I. Christi, illiusque sacratissima Humanitatis glorificationis, & amarissima mortis memoriam.

IV. His omnibus & singulis modis, cogitationibus, verbis, & operibus cupiente, & benignissimum meum IESUM, infinito tempore, & infinitis affectibus laudare, honorare, benedicere, glorificare, adorare, digne estimare, imitari, servare, placere, gratias agere, obtestari, rogare, & amare omnibus laudibus, glorificationibus, adorationibus, & amoribus omnium Angelorum, & hominum existentium, futurorum, & per tuam absolutam potentiam possibilem: me verò veterem hominem totum humiliare, mortificare, abdicare, abnegare, contere, & in nihilum redigere: rursumque renovare, resignare, perfectissimèque unire, ac conformare: ex omnibus omnium virtutum supernaturalium finibus, atque motivis: præcipue verò Fidei, Spei, Charitatis & amoris non concupiscentiæ admodum proprium bonum, neque ob metum pœnæ, & gehennæ, vel exspectatione alicujus retributionis, aut mercedis promissæ, sed ex amore mere benevolentie propter respectum, in te ipso, & ex te ipso dignissimo,

Cum affectivis actibus omnium virtutum.

Ex puro amore benevolentie in Deum.

ferritate, laudibus, obsequijs, & amoribus simpliciter infinitis.

V. Quia verò hæc omnia mea qualiacumque, agnosco in se vilissima, & tuæ Majestati indigna, ac mille alijs nominibus esse debita, idcirco, ut pretiosa & condigna reddantur, offero singula, ut supra, in Vnionne perfectissima, & inseparabili omnium sanctissimarum cogitationum, verborum, operum, actionum, intentionum, virtutum, laborum, dolorum, passionis, mortis, & effusi pretiosissimi Sanguinis de vivifico, & amabilissimo Latere, & corpore Domini, & Salvatoris nostri IESV Christi, pro me, & NN. mihi specialiter charis, & commendatis, omnibusque meis Superioribus, Confratribus, parentibus, propinquis, benefactoribus, amicis, benepolis, & malevolis; seu qui me toto meæ vitæ tempore verbo, vel factò, scienter, vel ignoranter gravarunt, molestârunt, offenderunt, seu scandalizârunt, & pro omnibus, quos ego similiter gravavi, molestavi, offendi, vel scandalizavi: & pro omnibus, quibus teneor, & pro quibus intendo explicitè, seu implicitè, Tuq; piissime Domine scis, & vides, me debere, & velle orare: ut omnibus vivis concedere tuâ miseratione digneris omnium culpârum, delictorum, atque pœnarum remissionem, liberationem à malis & periculis animæ & corporis, præteritis, præsentibus,

& fu-

In unione
sanguinis
Christi.

& futuris: salutem, auxilium, gratiam, opem, & consolationem S. Spiritus: perseverantiam in bonis operibus, felicem exitum, æternamque salutem: Deinde verò requiem, & gloriam sempiternam.

Cum actualitate hujus intentionis sæpe renovanda.

VI. Sed quoniam vitæ meæ necessitates & occupationes me non sinunt, huc semel expresse intentioni actualiter semper intantum esse, idcirco cupio, & declaro hanc meam oblationem toties pro renovata & actuali valere debere, quoties oculis in celum aspexero, aut suspiravero, vel pedem meum percussero, dicens: Renovo omnia: vel, ô amor! aut, ô Deus meus! vel quâsimile: imò quoties vel horologij sonitus, vel arriæ meæ pulsus à me animadversus fuerit, seu cor meum indefinente anhelitu intra me respiraverit: protestando expresse contra omnes diabolicas tentationes, suggestiones, fraudes, obreptiones vanæ gloriæ, aut humani respectûs: & contra omnes distractiones, obliviones, cogitata, dicta, vel facta hanc meæ oblationi, intentioni, & pacto, quod modò cum infinitæ Majestatis tuæ dignatione feci, contraria, ac tibi dulcissima, & æmantissime Deus meus, displicentia. Ex hac omnia in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen.

VII. MONOPH. Viderur ista Oblationis, intentionis, sive unionis quasi continuatæ praxis, esse ipsissima illa

illa perpetua cordis custodia, & solitu-
do, de qua Abbates Moyses, & Isaac
ita docebant: Hic nobis principalis debet
esse conatus, hæc immobilis destinatio cordis
nostri jugiter affectanda, ut divinis rebus ad
Deum mens semper inhæreat, & eò usque
ab omni situ carnali extenuata sublimetur,
donec omnis ejus conversatio, omnisque vo-
luntatio cordis, una, & jugis efficiatur ora-
tio, ut perfectè adimpleatur illud Apostoli:
sine intermissione orate. In omnibus gratias
agite: spiritum nolite extinguere, hæc est
eius voluntas Dei, in Christo IESU, in
omnibus vobis. Quare mihi deinceps hæc
formula multùm familiaris erit.

PHILOTH. Et mihi quoque sum-
moperè placet: verumtamen ob multa
fortuito incidentia occupationum neces-
sariarum impedimenta, desiderarem bre-
ve quoddam illius ac substantiale com-
pendium.

THEOPHOB. En trado igitur
& aliam actûs hujusmodi formulam suc-
cinctam & efficacem; præstat quippe al-
terna subinde Actûs ejusdem mutatio,
ne ob frequentiore illius usum memo-
ria retentus, sine vero devotionis sensu,
raptimque transcurratur.

Offero hodierno die omnes meas cogita-
tiones, verba, & opera: omniumque po-
tentiarum, membrorum, ac sensuum animæ &
cor-

Talis oblatio est jugis oratio.

Abbat.

Moys. &

Isaac. col.

lat. PP. 3:

c. 2.

1. Thess.

c. 5. v. 17.

corporis usum, & operationes in-
 nas, & indifferentes, ad maiorem Deū
 D. N. IESV Christi, Beatissimæ V. M. A-
 RIÆ, omniumque Sanctorum, pra-
 cipue SS. NN. honorem, laudem &
 gloriam, ex omnibus sanctis, & super-
 naturalibus omnium virtutum motivis: in
 unione pretiosissimi SANGVINIS Sal-
 vatoris mei IESV: pro mea, & omnium
 meorum specialiter intentorum NN. vel re-
 commendatorum: & pro quibus tu piissime
 Domine scis, & vides, me debere, & vel
 hodie orare: omniumque simul fidelium vi-
 vorum, & mortuorum salute anima & cor-
 poris, remissione peccatorum, gratia, auxi-
 lio, & consolatione Sancti Spiritus imp-
 trandâ: declarando, & protestando expressè
 quòd ad omnes horologij sonitus, aut con-
 mei suspiria, sive quoties dixerò: Deus mi-
 us! renovo: vel quid simile: ista inten-
 tio semper pro actuali valere: è contra om-
 nes distractiones, obreptiones, vel diaboli-
 suggestiones, aliaque huic meæ intentioni con-
 traria, ac Deo meo displicentia, irritabi-
 da, irrita, nulla & rejecta esse, ac perma-
 nere debeant: In nomine Patris, & Filij
 & Spiritus Sancti, Amen.

Hæc brevissima praxis prioris no-
 gleus est.

VIII. Transeamus modò ad al-
 ram perfectissimæ unionis cum Deo. *sec-*
cum

diem, quæ est resignatissima, & abso-
lutissima humanæ voluntatis cum divi-
na conformatio. De hac ille speciosus
sermō præ filijs hominum hæc aliquando ad
præmemoratam suam sponsam Gertru-
dem verba fecit: *Qui vult, ut ad ipsum
liberè veniam, debet mihi clavem propriæ
voluntatis resignare.* Unde eadem sancta
aliquando trecentis, & sexaginta quin-
que vicibus illud Christi Domini pro-
nunciavit: *Non mea, sed tua voluntas fiat,*
amantissime IESU! Exposui vobis in
proœmio Exercitiorum, de illa, me-
diantibus exercitijs, mirabiliter con-
versâ Benedicta Romana, quousque se-
cundum animabus intensè Deum amanti-
bus, hæc resignatio, sive conformi-
tas extendat, dum ipsa, se para-
tam, & contentissimam fore profite-
batur, si eam Deus post omnia licet
impensa totius vitæ obsequia, nihilomi-
nùs veller æternis ignibus addicere, ad
implendam solummodò Dei volunta-
tem.

IX. Et sanè millies præstaret, ex
Dei voluntate libentius inter vermes re-
pere, quàm ex propria inter Seraphi-
cos collocari, imò supplicijs quoque
perennibus mancipari, quàm celo (si
arbitrarium fieri deberet) contra illius
bene-

Christus pe-
tit clavem
propriæ vo-
luntatis si-
bitrâdi:
*Apud Blos.
in Monit.
spir. c. 116
Ps. 44.*

S. Gertru-
dis perfectè
resignata.
*Luc. c. 22,
v. 42.*

B. Benedi-
cta Monia-
lis etiam ad
inferricæ-
nas resig-
nata.

Præstantia
talis resig-
nationis.

beneplacitum adscribi; ut ille quorundam omnium Regum opulentior, atque felicior mendicus, apud Taulerum in colloquio Theologi & mendici, optul-

Mendicus se perhibetur, dicens: Si Dominus Me-
ad Dei beneplacitum cestatis me in abyssum inferni demerere vol-
cælo præferet, duo mihi brachia sunt, quibus eum
fert damnationem. plecterer. Vnum humilis RESIGNA-

TIO, quod ei suppono, & per hoc ejus sacratissimæ Humanitati unitus sum; alterumque idemque dexterum, AMOR, quo ipsius Divinitati unitus eundem circumplector, ut mecum ad infernum descendere cogeretur, ubi optatius mihi foret, impletâ ejus voluntate, esse cum Deo, quam in celis sine illa. Ecce mendicum profundissimum Theologiæ mysticæ Doctorem. Quod ipsum ex aliâ quâdam Christi ad B. Brigittam factâ his verbis revelatione, pariter confirmatur: Qui propriam voluntatem relinquit Deo suo, obediens mihi, habebit celum sine pœna. Cæterum eminentissimæ hujus Conformationis, sive Resignationis actum hâc formulâ trado.



ACTUS

Perfectissimæ Resignatio-
nis.

X. **O** Clementissime Pater miseri-
cordiarum, & Deus totius
consolationis! Ecce ego creaturarum om-
nium indignissima, cum nullam hactenus in
omnibus rebus creatis veram, ac stabilem
consolationem, pacem, & tranquillitatem in-
venire potuerim, nisi in solo sanctissimo vo-
luntatis tuæ beneplacito, idcirco, quamvis
in pulvis & cinis, cupio tamen ardentissi-
mo cordis affectu, meam Voluntatem, ex
tunc integerrimè abrenunciare; Tibique
solli, firmo, inviolabili, & plenissimo pacto,
que proposito, usu, & jure perpetuo resigna-
re, & transcribere. Proinde abrenuncio in-
ter omnes omni voluntati carnis, quæ spiritui
contraria est: omni voluntati mundi, quæ va-
nissima, & stultissima est: omni voluntati dia-
boli, quæ fraudulenta, impia, sacrilega, &
blasphema est: deinde meæ propriæ, quæ in-
stabilis, perversa, & cæca est; omnibusque
sensibus, placitis, judicijs, cogitationibus, in-
tentionibus, decretis, & motibus universis
omnium potentiarum, ac sensuum animæ,
& corporis, cupiens deinceps noque intelle-
ctum

Formula a-
ctus perfe-
ctæ resig-
nationis.

Abreun-
ciatio vo-
luntatis pro-
pria, munda
& dæ-
monis.

am, memoriam, aut voluntatem habere: ut
que oculos, aures, linguam, corpus, & ani-
mam, nisi ad percipiendam; glorificandam;
optandam, & plenissime perficiendam vo-
luntatem tuam rectissimam, iustissi-
mam, atque sanctissimam.

XI. sed quia sola mea voluntas pro-
fus nihil est ante te; idcirco super omnia
cordis mei desideria cupio, omnium hominum
& Angelorum voluntates in unicam meam
transfundi posse; ut simul & semel una re-
signationis actu omnes istas voluntates pro-
fundo affectu in profundissimum pelagus tue
voluntatis aeternae demergere & transfor-
mare queam; sicut gutta pluviae absorbetur
in mari, & sicut Beatissima Virginis voluntas
in Filij, & Filij in tuam o Deus! in terra
& de facto omnium Beatorum voluntates pro-
fundo in divinam absorptae sunt
in caelis. Propono etiam vi praesentis istius
resignationis, imposterum totaliter esse indi-
ferens ad laeta, & tristia, ad solatia, & hono-
res & ignominiam, ad vitam & mortem:
ita ut omnes arteriarum mearum pulsus, ad
singula momenta non aliud indicare debeant,
nisi haec & similia verba: Fiat, fiat, fiat,
tua sola in me voluntas; o Deus meus, &
omnia!

XII. Sed adhuc profundius me in aby-
sum beneplaciti tui submergo, tuisque oculis;

Affectus
conforma-
tionis om-
nium crea-
tarum vo-
luntatum.

Indifferen-
tia talis vo-
luntatis ad
omnia.

ris, atque justissimis iudicijs ita resigno, ut
 si post mortem me centum, aut mille annis,
 vel usque ad extremum iudicij diem purga-
 torij ignibus mancipare velis, velim & ego:
 si etiam aeternis me flammis addicere (quod
 quidem infinitis meis peccatis ego promerui,
 ut tu hoc velles: sed ut ego id amplius nol-
 lem, tu morte tua mihi meruisti) dicam ta-
 men, & profiteor corde, & animo resolutis-
 simis, quod id ipsum velim & ego: nam ma-
 lo sexcenties millies, voluntatem tuam ju-
 stissimam, gloriam tuam illibatam, ac Ma-
 jestatem tuam sine displicentia (etiam me
 damnato) esse ac permanere, quam me sal-
 vato, voluntatis tuae beneplacito aliquid con-
 trarium fieri.

XIII. Plus ultra adhuc, dulcissime
 amor meus, me resolvo, & declaro: si vo-
 luntatis tuae esset, mihi unico nutu significa-
 te, me isto temporis momento vivum cum
 corpore & animam ab inferni faucibus absor-
 bendum, & solum poenas omnes damnatorum
 (illis liberatis) aeternaliter sustinere debe-
 re: ah! (horreo quidem, & tremo secundum
 naturam) tamen ex divinae gratiae motu ad tuae
 voluntatis beneplacitum adimplendum statim
 licerem: Dominus es, quod bonum est
 in oculis tuis, hoc facias: nullamque aliam
 gratiam (licet optione data) peterem, nisi
 ut possem te brachijs meis, altero quidem
 humillimae resignationis, & altero flagran-
 tissimae

Etiam ad
 inferorum]
 poenas.

i. Reg. 33
 18.

Cum indif-
solubili ne-
xu cum
Deo.

tissimi amoris complecti, constringere, &
mecum indissolubili voluntatum nexu unum,
illuc in perpetuas eternitates detrahere, te-
nere, neque dimittere (sic enim infernum
pro celo, quemadmodum sine te celum pro
inferno reputarem) sed potius in ipsi-
am inibi tormentis te laudare, & pradi-
care, atque efficere, ut à me, & in me ab
omnibus creaturis laudaretur, predicaretur,
& glorificaretur in eternum & ultra
tua semper rectissima VOLUNTAS. Amen.

Excessus
meriti talis
actus.
Blos. in ap-
pend. ex
dicta Taul.
& PP.

MONOPH. Iam non amplius
mirabor, quod legisse me memini, mille
mundos relinquere in talis alicujus resigna-
tionis actus comparatione, nihil esse: imò
etiam parum hoc ipsum, quod sancti Mar-
tyres animas pro Deo fuderunt, huic resigna-
tioni collatum.

Perfectissi-
mus actus
resignatio-
nis in Dei
Iustitiam
vindicati-
vam.

XIV. THEOPH. Verissime senti-
tis & optime. Atqui restat discutienda
materia circa aliquem actum adhuc mol-
to sublimioris & perfectioris resignatio-
nis in ipsam Vindicativam Dei Iustitiam
tales enim unius animæ ex Dei gratia
vel perfecte contrita, vel intense a-
mantis sunt ad inventiones, ut omnem
humanæ mentis admirationem exco-
daunt. Quis enim unquam imaginari sibi
auderet, hominem ad æternam cæli bea-
titudinem creatum, summe anhelantem

ac præ illius desiderio poenè immorien-
tem, posse nihilominus ex motivo ali-
quo supernaturali, v. g. horroris erga
peccatum, amoris in Deum & proxi-
mum, aut satisfactionis Divinæ iustitiæ,
præ cælesti gloriâ, eligere & optare per-
petuos inferorum cruciatus (unicâ cum
demonibus Dei hostibus communica-
tione, Majestatis Divinæ contemptum,
peccatiq; malitiam involvente seclis-
sâ.) Est enim indubitata Theologorum
doctrina, posse quidem hominem sum-
mè charitativum omnium suorum bo-
norum operum fructus, impetratorium
& satisfactorium pro alterius salute ap-
plicare, & se utroque privare, non ita
fructu meritorio gratiæ sanctificantis,
quæ cum sit radix gloriæ æternæ, quæ est
bonum infinitû, nec ordinata foret illa
charitas, nec rationalis illa voluntas,
tali infinito bono sese privandi, ut alte-
ri loco sui communicetur, vel æternæ
damnationis malo infinito subijciendi
se, ut alius inde liber evadat. Et tã-
men scimus indubiè, mansuetissimum
Moysen rogâsse, deleri de libro Vitæ,
pro impediendâ extinctione populi ido-
latriæ. Et Gentium Doctorem optâsse
se, fieri anathema à Christo pro fratri-
bus suis, perfidis Dei crucifixoribus:
illamque ardentissimum Dei gloriæ &

Nullus po-
test rationa-
biliter se
privare cœ-
lo pro alte-
ro.

Exod. 32.
Zelosi pro
alienâ salu-
te magis,
quam pro
propriâ.
Rom. 6. 9.

In Vit. il-
lius.

salutis aliorum Zelotem Ignatium dixit
se, si optio daretur, malle se beatitudi-
nis incertum vivere, & interim Deo in-
servire ac proximorum saluti, quam e-
iusdem gloriae certum statim mori.

XV. Nec desunt pariter fervoris, charita-
tis & optionis foeminae. Reducite in me-
tem, quae superius Digress. 4. n. 13. retulit
de Catharina Bononiensi innocentiissima

B. Cathar.
Bonon. of-
fert se ad
infernum
pro pecca-
toribus.

Virgine, eam enixe precatam esse, qua-
tenus adhuc terribiliorem Deus crearet
infernum, & seipsam in eiusdem abyssi

(absque tamen proprii peccati macula)
pro incude collocaret, omnibus Divi-
nae Iustitiae ictibus aeternaliter tunden-
dam, pro aliorum peccatorum perpe-
tuam salvationem. De Catharina Genuensi
purissimam quoque animam, pariter reco-
lit ex supra memoratis, illam, cogni-
tam per divinam revelationem horribili-
tate solius quasi umbræ minimi peccati
venialis, tantum odium concepisse & hor-
rorem, ut ex intensissimo divinae Iusti-
tiae amore non dubitavit rotundè coram

Cathar.
Genuensis
petijt exer-
ceri contra
sua peccata
Dei Iustiti-
am.

In Vit. c.
24.

Deo proferre, se pro peccatis suis non
petere gratiam, non misericordiam, non
Ecclesiae Indulgentias, nec absolutiones,
sed pro merito suo Iustitiam, Vindictam,
& castigationem. Tertiam adjungo An-
gelam de Fulgino adhuc in conjugij sta-
tu cum marito & filijs, perfectissimam
tamen

tamen poenitentem, quæ, dum aliquan-
do aliùs solito illuminata Dei potenti-
am, voluntatem, Iustitiã, & bonita-
tem cognoverat, ita deinceps remansit
contenta & tranquilla, ut dictata &
scripta reliquerit hæc verba: *Ei si cer-*
tissime scirem, me damnandam, nullã ratio-
ne possem dolere; nec minùs studerem ama-
re & honorare Deum, in tantum intellexi
Iustitiã ejus, & rectitudinem judiciorum
ejus: & mox ita; Quando dico, per iudiciũ
quũ libera me Domine, tantum delector,
sicut quando dico, per passionem tuã li-
bera me Domine, non enim magis cog-
nosco bonitatem Dei in multis Beatis, quã
in multitudine damnatorum: & ibidem ad-
jungit: Si omnia, quæ sunt fidei, per impossibi-
le desicerent, híc tamen remanet mihi cer-
titudo de Iustitiã suorum judiciorum. Unde
alibi ampliùs, cùm sic essem illuminata,
inquirebat, ut nihil in me viderem, nisi dese-
ctus, condemnabam meipsam, sciens & cog-
noscens, quòd certissime digna eram inferno.
Demum hæc memorabili sententiã con-
cludit: *Videndo me damnatam, non curo a-*
liquo modo de damnatione meã, quia plus
curo & plus doleo, quòd offendi Creatorem
meum, quem nollem offendisse præ omnibus
bonis, & malis. Ex quibus subinfero,
si tales Sancti & Sanctæ potuerunt, vel
præ horrore peccati, vel pro amore

*In Vit. 6.
24. conso-
lat. 5.*

*Amor erga
Dei Iustiti-
am in B. An-
gelã &c.*

*Cap. 5. pas
su 5.*

*Utrò se ob-
lit damna-
tioni prop-
ter sua pec-
cata.*

Cap. 19.

*Magis do-
let de offen-
sã Dei, quã
de suã dam-
natione.*

li; salu-

salutis alienæ, aut pro affectu beneplaciti Divinæ Iustitiæ, se ejusdem rigori, aut propriæ salutis periculo, seu peccationi subijcere innocentes, majori ratione posse idipsum enormem aliquem peccatorem, ex efficaci motione divinæ gratiæ, ingenti contritionis, Deique amoris æstu pereitum, sibi ipsi velut mille gehennas merito, optare; vel cum eadem intemeratâ Dei Iustitiâ dandam illi satisfactionem super suâ damnatione pacisci, modo præsertim ac formâ mox tradendâ.

XVI. PHILOTH. Sed, amabundum tales actus, desideria, vota seu præcæta, non sint penitus innaturalia, inordinata, & irrationabilia prorsus, abdicare se à cœlo, à Sanctis, à beatificatione in perpetuum; ac sempiternis inferorum tormentis addicere?

Amor excessivus nõ agit humano modo rationabiliter.

THEOPH. Iam in superiori Digressione memini, animam quandoque amoribus ita excessivis erga objectum amatum inflammari, & occupari, ut quasi ebria sapienter ignoret, quid dicat, eligat, vel agat; non attendendo, quâ lege, quo ordine, quâ ratione, vel possibilitate, imò quò intensior sit charitas, eò magis ultra omnem naturam in ardua, excessiva, in exotica & suis viribus improporionatissima ferri, ut quò

quò effectu attingere nequit, enitatur affectu. Quanti porro ejusmodi celsissimi affectus apud Deum sint valoris & meriti, dicat eruditione & pietate vix ulli secundus Ludovicus Blossius Abbas, his verbis: Si quis etiamnum inter mortales ex purâ dilectione, cum sui resignatione perfectâ ad omnem pœnam honore Divinæ Iustitiæ tolerandam, sese integro & tranquillo animo offerre posset, talis nec inferni, nec purgatorij pœnas subiturus esset, etiamsi solus mundi peccata commisisset, Doceant vos id ipsum Sancti Patres asserentes, cum, qui Dei erga se Iustitiam perinde ut misericordiam ad æternam ejusdem Domini gloriam exosculetur ac diligat, tam faciliè peccatorum suorum ac pœnarum illis debitarum plenissimam veniam obtinere, quàm faciliè una aquæ guttula in ardentissimam fornacem injecta consumitur. Cùmque allatæ Patrum doctrinæ adstipulentur plures tam Asceseos, quàm Theologiæ Magistri & Doctores, præstabit hîc nunc in medio statuere enormissimum mundi peccatorem, ære alieno plus quàm decem millium talentorum erga Divinæ Iustitiæ tribunal debitorem, & cui eapropter apud omnia suprema tribunalia jam proclamato, sub hastâ vendito, & pro-

Blos. in dict. PP. c. 24. ex Taulero. Pro Dei iustitia ad infernum se offerre infiniti meriti est.

Pactum cum Dei iustitia peccatori est salutare.

scripto

scripto nullum amplius in cælo & terra
videatur superesse solutionis, satisfactio-
nis, suæque salutis consequendæ medi-
um; quid ager miserimus, nisi ex ne-
cessitate virtutem faciendo, se ultro quo-
ditrici Iustitiæ in catenatum mancipium
ad perpetuas triremes, aut carceres of-
ferre, pro ejusdem Iustitiæ liberrimo quo-
stu & arbitrato; ac in sequentem totæ
mulam, cum humillimâ & perfectissimâ
ma contriti & resoluti cordis resignatio-
ne cum Ea pacisci; quod sibi saltem quo-
quo modo æternaliter in abyssalibus in-
ferorum supplicijs bene sit.

FORMVLA PACTI PER-
PETVI

*Alicuius maximi peccatoris, cum
Iustitia Vindicativa Dei.*

XVII. **O** Rex sacrosancte, summè admi-
rabilis & centies milies admi-
randa Dei Iustitia, omnium iniquitatum In-
dex & Vindex! passim, & ab orbis conditi-
princípio usque in præsens formidaris, & ter-
ceris esse tremenda, terribilis & metuen-
dissima; oculis meros flammæ glebas spe-
rantibus, voce tot tonitrua & fulmina,
quot verba vibrante, dexterâ romphæâ vi-
acutâ & fulgurante armatâ, brachio semper

Formula
pacti pecca-
toris cum
Dei Iustitia

Tremenda
Dei Iustitia
describitur.

in funestissimas mortalium strages extento, adeoque inexorabiliter in vindicandis hominum sceleribus intenta, & rigorosa, ut nec minima labecula, navus, aut culpa in hoc vel in altero mundo impunita rigores tuos subterfugere valeat. Vnde solo audita terrifico vocis tue sono, vel animadverso furoris tui signo, omnia elementa nutant, omnes caelorum machinae concutiuntur, ac si fractus illaberetur orbis; omnes denique humanorum artuum compages, omniumque creaturarum subsistentiae & existentiae dissolvi, & in minutissimos sui nihili atomos redigi pavescunt.

Omnium
creatura-
rum pavor
ad signum
Iustitiae
ejus.

XVIII. Et saevè vestigia terrent tertiae partis Angelorum ob unicum superbiae peccatum unico in momento commissum aeternis ignibus mancipatae. Totius humanae stirpis propter unum gulosae inobedientiae actum aeterno anathemate e paradiso proscribitur. Totius mundi cum universa animalium specie ob hominum carnalitates exitiali diluvio submersi. Tot civitatum cum omnibus innocentibus aequè ac nocentibus incolis propter Sodomiae flagitia sulphureo igne absumptarum. Taceo innumerabiles bellorum strages, incendiorum furores, famis, pestium, inundationum, terrae motuum, morborum, infortuniorum, tempestatum ac fulminum ruinas, quibus sine cessatione in miserrimos mortales excandescis, ardescis & grassaris: imò, quod omnem creaturam intelligentiae capacitatem transcendit.

Exempla S.
Scripturae
rigorosae Iu-
stitiae.

Rigor divi-
næ Iustitiæ
in ipsum
Dei Filium,

cendit, in ipsum Unigenitum Dei Patris
lium, innocentia & lucis æternæ candorem,
propter aliorum duntaxat peccata, micis-
bus omni humano sensu acerbioribus serijs;
ut proinde omnes creaturæ perterrita tremo-
lâ voce fateantur & dicant: tremendum &
horrendum esse, incidere in manus Iustitiæ
Dei viventis.

Rememo-
ratio pecca-
torum pro-
priorum.

XIX. Verùm ô æternè glorificanda Iu-
stitia, si ad meum particularem statum des-
cendens recogito ex una parte, mea ab æ-
tatis adolescentiæ usque in hanc ætatem (spe-
nectutem) contra te commissa facinora, spe-
cie diversissima, qualitate infanda & puden-
da, quantitate immensa, circumstantijs gra-
vissima, frequentatione assidua, numero-
sissima, explicabilia, malitiæ autem gravitate pro
omnem æternitatem & mille infernus im-
piabilia, quibus Te, & iram tuam iustissimè
ita audacter, deliberatè, perfidè & pro-
lamer irritavi, provocavi & ludificavi, ut
jam ex solâ superficiali recordatione, pro
nimio horrore, confusione & pudore tabes-
cam. Econtra verò si ex altera parte confi-
dero, meam hætenus post omnes infames,
nefarias, propudiosas ac detestabiles istas in-
gratitudines, malitias, & enormitates, meam
nihilominus post tot annorum curricula lab-
viam adhuc indemnitate; Tuamque ô Iustiti-
æ laudibus deprecanda Iustitiæ Iustitiæ

Et longani-
mitatis Iu-
stitiæ Divi-
næ,

me millies mille infernos meritum, ostensam longanimitatem, & patientiam, præ stupore me reddis excordem. Nam cum ex fide teneam, personarum acceptioni apud Te locum non esse, sed soli rectitudini, sanctitati & equitati, tam in malis vindicandis, quam in præmiandis bonis, & tamen revolvens tam veteres, quam modernas Te iustitiâ vindice horribiles peccatorum castigationes; meam verò (qui omnes prorsus in universo mundo meis sceleribus & perfriatâ obstinatione excedo peccatores) impunitatem; nescio, an intra me sentire, & dicere audeam (salvâ fidei integritate) Te erga me aut nimis fuisse respectivè partialem in parcendo, aut in longanimitate & patientia nimis clementem, cum ingenti honoris tui præiudicio, siquidem abinde majorem sumpsi audaciam, Te velut surdam, aut cæcam, imbecillum & impotentem ad vindicandum offendendi, injuriandi, & lusui habendi.

Dei iustitia non est partialis.

XX. Fateor equidem, quod nonnullis vicibus me in luto fœcis & limo profundi ex propria malitia infixum, virgâ & baculo ventilaveris, & adversitate secundum hominem inferiorem gravi visâ, interdum corripueris, at nunc secundum superiorem agnosco, omnia fuisse non nisi torrum aliquem amantissimi Patris aspectum, quo metuenti dedisti significationem, ut fugiam à facie arcûs. Vnde candidissimè fateri, tibiq; gloriæ

Castigationes patens.

Iustitiæ
Dei longanimitas amanda & laudanda.

gloriam dare cogor, quod mihi nec remota, nec exhorrenda, sed ineffabiliter dulcis, pia, mansueta, benigna & infinitè infinitè misericors fueris usque in præsens, & à me, & propter me, ac meo nomine, omnibus omnium creaturarum existentium & possibiliū servitijs, laudibus, adorationibus, gratiarū actionibus, & amoribus per infinita eternitatum spatia (quocunque demum in loco à morte mea me collocaveris) si & esse prosequenda.

Humilis confessio suæ vilitatis.

Desiderium pacificandi ex puro amore Iustitiæ Dei.

XXI. Quare (cum venia & pace mea haustæ misericordiæ Dei, ad quam hæc solum meum & unicum sumpsî refugium) posthac te non aliter appellabo, quam meam clementissimam, amabilissimam & superducissimam, Dominam, ac absolutam meæ salutis, aut æternæ mancipationis in inferno arbitram. Et quamvis sim vilissimus reus, mundi labe & peripssima, minimus reus pulvisculus; peccator quovis putrido cancerinomite fortentior, mortuo cane detentior, imò mille suspendiorum reus, cupio tamen intimè & unice tecum à altissima & incomprehensibilis Majestatis Iustitia (non quidem pro ullo meo temporali, vel eterno bono aut commodo, sed pro merissima gratiarum actione & tuæ exercitata mecum longanimitatis recognitione, ac honore, amore, gressu & complacentia tibi faciendâ) super his quibus

in punctis Pacisci, modò me audire & ex-
audire digneris.

Primum; quòd, cùm deinceps, propter
heu! nimium bonitatis, beneficiorum & mi-
sericordiæ Dei abusum, coram ipsius placi-
dissima facie, præ infinitâ scelerum confusione
& erubescentiâ, comparere non audeam, mi-
hi totâ meâ reliquâ vitâ liberum ad te pate-
at refugium & accessus, tractaturo tecum de
ablatis tibi honoris ac irrogatarum à me læse
Majestatis injuriarum & contemptum quali-
cunque reparatione, & satisfactione præstan-
dâ.

1. Semper
confugium
ad Dei justitiam ha-
bendi.

Secundum, ut, quia aded jam præ infini-
ti doloris, & contritionis magnitudine, prop-
ter enormissimos excessus meos contra Dei
mei immensam bonitatem, ac Te perpetratos
cor meum intra me colliquefcit, ut tam me
quam scelera mea infanda inexplicabili odio
de detestatione persequar, abominer, male-
dicam & anathematizem, Tu quoque ô rectis-
sima & inviolabilis Iustitia eadem peccata
mea, & (si ita tibi placet) me quoque ab-
omineris & detesteris, & simul omnia in pul-
verem, in nihilum, prorsus infecta & in re-
ligas, eo efficaciam modo, ut infamis & infer-
nalis ille character, macula & nota offensæ
infinitæ bonitatis, præ dolor à me contractæ,
in æternum amplius non appareat, revivis-
cat, sed maneat obliterata, erasa, deleta,
et funditus extincta.

2. Peccata
omnia de-
testandi, &
infecta red-
dendi.

3. Ad gustum justitiæ inferni pœnas subeundi.

Deletâ tamen peccati maculâ.

4. Hic interim semper Dei serviendi.

XXII. Tertium: Quod si deinde ablatâ penitus infandâ hâc maculâ (qua sola majori mihi omnibus inferni cruciatibus dolori est) quâcunque certitudine significasti, Te o æquissima Iustitia! nihilominus habere gustum & complacentiam, ut ad tui satisfactionem, honorem & amorem perpetua mortem meam damnationis pœnas subeam. Ecce paratissimum me cum sune ad collum hoc ipso etiam oculi momento ad omnia inferorum tormenta (suppositâ tamen prædictâ turpissimâ maculâ perpetuâ annullatione sustinenda. Quia centies millies, imò infinitè dignius est, & ambio, tuo justissimo beneficio per aternam meam damnationem satisficere, quàm per meam salutem gustus tuo aliquid deesse.

Quartum istiusmodi pacti inviolabilem articulum cupio & declaro esse debere, quod non attentâ meâ futurâ damnatione, nihilominus velim hîc usque ad illius ultimam executionem Tibi o mea jam dulcissima, cordig, & amori intrinsecata Iustitia! omnia excogitabilia & possibilis amoris, honoris, laudis, benedictionis, glorificationis ac servitutis obsequia prestare, eo etiam pacto, ut me postea ad inferorum supplicia relegatum preserves ab illo exitiali omnibus demonibus ac damnatis infixio Tui odio, blasphemis & maledictionibus rabiosis, ac desperatis: contra verò hanc solam & summam gratiam

perpetuò in me confirmes, ut, sicut ab omnium Beatorum cœtu Iudiciorum tuorum rectitudo infinitis laudibus celebratur in cœlis, ita ego in profundissimâ illâ voragine constitutus ineffabili laudis & benedictionis præconio valeam correspondere (etiam ringentibus ac nimio furore freudentibus contra me diabolorum & damnatorum catervis,) ita ut unus & solus ego in medio illius maledictæ cohortis approbem, adorem, & laudem fines & motiva rectissimorum tuorum iudiciorum, quibus me, & omnes infernum meritos damnâsti, ac solus ego hoc Iustitiæ actu tot tibi benedictiones rependam, quot in te à cæteris maledictiones evomentur.

Super hæc igitur pacta ô incomparabilis & benignissima Dei mei Iustitia! Tibi in faciem meam prostratus supplico, ut hanc descriptionis meæ chartam; publicam, æternamque animi mei declarationem ex solo & puro tui amore & beneplacito spontè, liberè & consideratissimè factam, pro tuâ parte ratam acceptamq; in omnibus habere; Sanctissimæ Trinitatis, & Redemptoris mei IESU Christi, immensæ ejusdem Misericordiæ, nec non dulcissimæ hætenus Matris misericordiæ MARIE, meorumq; Patronorum conspectui (quo per mea, pro dolor! scelera æternaliter indignum me reddidi) præsentare, ac demum appropinquante finali executione, sub prædictis declaratis & pactis toti Curie cœlesti, meo nomine

Et Dei iustitiam in inferno approbandi, laudandi.

Supplicatio pro pacti hujus confirmatione.

mine æternum, Ab æternum! vale mun-
re digneris. Amen.

X XIII. MONOPH. De hoc ex-
cessivo actu & pacto, illorumq; Sanctissimo-
rum virorum ac mulierum adductis à te-
emplis aliud plane dicere nequeo, nisi quod
in colloquio Barlaam Anachoreta recensetur,
videlicet: Beati isti, ter Beati tam excessivi
Dei amore flagrârunt, ut ob ipsius charita-
tem & beneplacitum, omnia mundi & in-
ferorum mala pro nihilo duxerint. Verum
nos indigni & despicabiles, tamesi pro-
sera nostræ facultatis modulo stupenda illorum
vota & gesta exprimimus, vite tamen &
amoris tantî fastigia neque assequimur, ne-
que propter spiritûs nostri infirmitatem aspi-
qui meremur.

Pendent ex
Dei gratiâ.
Rom. c. p.

PHILOTH. Bene quidem supra dixi-
sti: Amorem vivere excessibus; sed ultra
les excessus pertingere, non credo, esse vo-
lentis, sive currentis, sed solius Dei mi-
serentis. Equidem fateor, quod tanquam
maximus & ingratisimus peccator, bene-
mias haberem, causas, & motiva, patitur
istiusmodi actum sepius eliciendi, verum ad
duro sum corde, ut valde dubitem, an ex-
ferio & intimo animi mei fundo ac sensu pro-
veniret?

Cum arcu
debili est al-
tius colli-
mandum.

THEOPH. Rectè sentitis uterque, sed
propter eam ipsam spiritûs vestri velut ar-
cûs sagittarij infirmitatem ed altius collima-

diu est bonæ mentis conatibus, quibus miserentis Dei gratia non raro etiam in maximis peccatoribus admirandis influxibus cooperatur. Vnde nec animus despondendus, nec humi semper rependum, aut in veteri pulvere sordescendum est; sed quod in proverbio est, cum Minervâ manus movendæ, cum affante divini Spiritûs aurâ remigandum, & cum assumptis firmæ resolutionis alis cor ad æterni Solis æstus ac radios elevandum. Felix Icarus, qui præ ejusdem ardore liquecentibus alis, in infiniti amoris abyssum illapsus submergitur. Vnum tamen vos præmonuerim, quod talis pacti contenta non extimis tantummodo labijs sint ita nudè & crudè proferenda, sed ex intimo fundo cordis priùs bene confusi, & compuncti ex impressione ingentis numerositatis, sæditatis & gravitatis suorum anteactæ vitæ peccatorum; & nihilominus post tot malitiosè factas iræ & Iustitiæ Dei irrationes, expertâ ejusdem Iustitiæ insuperabili longanimitate & patientiâ immeritissimâ: Atque ita his prævijs considerationibus, accedente infallibili Spiritûs Sancti motione, facilius ad tales generosi fervoris actus & ausus (cum inefabili conscientie ac mentis tranquillitate & solatio in vitâ & morte) pertinetis.

Hortatio ad generosus actus;

Cum prævia cordis compunctione.